



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Glanis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Vulgatissimum enim est, naturæ bibacioris hominem per Spongiam significari, ea quæ omnibus in promptu est causa, attactu solo tantum humoris exugendi. Quo accedit festivum vulgi dicitur in Vespasianum jactari solitum, quod dicitur eum procuratoribus pro Spongiis uti, quod quasi secos madefaceret, & exprimeret humentes. Credebatur enim procuratorem rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria promovere, quo locupletiores mox condemnaret, atque ita ille eorum rapto frueretur. Quod vero scriptores hic *Secos* pro *Pauperes* ponunt, cum Horatiana facit elocutione, ut in Epistolis:

Suetonius
in Vespas.
c. 16.

Lib. 1. epist.
17.

Sin prodesse tuis, pauloque benignius ipsum

Te trahere voles, accedes sicus ad unctum.

quippe, ut palam est, pauper ad locupletem.

ABOLITUS. CAP. XXXI.

Ab Augusti tempore receptum est, ut pro abolitione Spongia capiatur, ex quo ille Ajacem suam, quam tragediam penitus aboleverat, in Spongiam incubuisse respondit, ad ense alludens, in quem Ajax sponte sua incubuerat.

Sueton. in
August. c.
45.

MOLLITIES. CAP. XXXII.

Alii mollitiem etiam per Spongiam significari voluerunt, de quo Plutarchus opusculo eo, quo docet, qua ratione internoscere adulatorem ab amico possimus, Comici, cuius non ponit nomen dicitur citat, *ὄχι μὴ πρὶ ἴσῳ ἀγγυλάζ μαλακώτερον ποδῶσπιον*, Nisi corpus spongia mollium reddiderit, de verberibus loquens, quibus eum cædendum interminabatur.

DE GLANI. CAP. XXXIII.

De Glani
Plin. l. 9.
c. 43.

Verum age inter minutos hos proceriorem unum aut alterum inferamus: ut ita pisciculorum, qui præmissi sunt, sordes emundentur.

PATERNA DILIGENTIA IN FILIIS EDUCANDIS.

CAP. XXXIV.

Plin. hoc
offici. tribuit
Siluro, lib.
9. c. 51.
Glanis di-
ligentia in
filiis edu-
candis.

Paternam in filiis educandis diligentiam, eamque accuratissimam exprimere si vellent, piscem Glanim pingere instituerant. Ova enim is quæ scemina desituerit, perseveranti custodia tutatur ad quadagesimum & quinquagesimum usque diem, ab iis denique non abscedit, donec ita coalescat soboles, ut ab reliquorum piscium injuria se tueri valeat. Tantumque ejus affectum esse ferunt, ut dum ova deferere minime patitur, a piscatoribus ea trahentibus in vada facillime capiatur, tam ardenti animo, tamque pertinaci studio apud illa permanere contendit. Hæc Ælianus, qui Glanim etiam Siluri speciem similitudinemque habere dicit.

DE SILURO. CAP. XXXV.

Plin. l. 9. c.
15.

A. Suet.

Est vero Silurus, ut veteres omnes auctores tradunt, bestia malefica, quæ, ut inquit Plin. & homines & Equos devoret. Sed & Glanim Pausanias ait hominum esse devoratorum. Nequaquam vero Sturio esse potest, neque Glanis, neque Silurus, cum minime fera esse possit Sturionis natura, tam molli delicatoque ore prædita, quæ sive ex porculetis in eam evadat magnitudinem, sive alterum sit genus, *ὄχι μὴ ὄχι* pisci nomen *ὄχι* apud Athenæum, atque is inter grandiores. Idem vero auctor, & Porcos, & Siluros inter Nili pisces enumerat. Et Hispania omnis Sturionem Sulium vocat, literis transpositis, quasi velint Suillum dicere, hoc est, Hycam. Sunt quidem in Danubio Siluri celebres, sed non minus Hycæ, quæ de re aliquid dicit Hermolaus, sed hæc alii viderint.